

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg
Green, Georg Sigismund**

Vitembergae, 1700

§. XII

urn:nbn:de:bsz:31-105555

filiolos suos : at si quis tamen peccat ; advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum , justum : Sic Evangelium inculcat , quippe quod etiam post terminum preemptorium , adhuc advocatum admittit , qui causam peccatoris peroret . Itaque si fero pœnitentes dicant : *ipse est propitiatio pro peccatis nostris* : respondet illud for gratiæ : *Das Verdienst und Fürbitte Christi soll aller solcher Leute Nothnagel seyn .* Sin pergant contriti corde ; *ipse est propitiatio , non pro nostris tantum , sed etiam pro totius mundi peccatis* : iterum prosternit hanc fiduciam Sectarius : *Es ist mit dem Sünder dahin kommen / daß ihm nicht mehr zu helfen stehet .* Contendit Apostolus *quis ille , qui condemnet ? Christus est , qui mortuus est , qui , & suscitatus est , qui & sedet , ad dextram Dei , & interpellat pro nobis . Rom . VIII , 32 . 33 .* Sed respondat Antesignanus : *Christus bittet nicht mehr weiter vor einen solchen : nachdem Christi Fürbitte aus ist / hilfft keine andere mehr . Pro quibus ergo Christus interpellat Ambrosii verba sunt , eos Novatianus accusat : quos Christus ad salutem redimit , eos Novatianus damnat ad mortem . Quibus Christus dicit : tollite jugum meum super vos , & discite a me , quia mitis sum ; Novationus dicit : immitis sum . Quibus Christus dicit : invenietis requiem animabus vestris , jugum meum suave est , & onus meum leve ; his grave onus & durum imponit jugum Novatianus Lib . 1 . de Pœnit . c . II . p . 154 .*

§. XII.

Denique VI . tollitur discrimen inter peccatores dum in via sunt , & inter ipsos mat damnatos atque diabolos . Hi enim sunt exclusi ab omni spe gratiæ : his demum interceptus est ad misericordiam reditus . 2 . Petr . II , 4 . Luc . XVI , 26 . Illis vero adhuc pœnitentiæ spatium indulgetur

getur usque ad mortem : ut ne quinque fratribus quidem denegetur : *habent Moſen & Propbetas, audiant illos, ibid.* Sic cœlum cum inferno, & gratiam cum æterna ignominia confundunt.

§. XIII.

Jam sub examen revocanda erant, Scripturæ loca, quæ magno conatu depravata & in sequiorem sententiam detorta sunt. Et fateor animum fuisse, singulari Sectione hanc telam pertexere. Sed negotium ingressus, mutavi animum, cum operæ istius pretium non deprehenderem. Sic 1.) *Prov. 1, 24. seq.* Sapientia hypostatica impiis toties vocatis, denegat auxilium in tribulatione : Ergone a gratia & salute excludit? 2.) *Hiob. 33, 29.* Elibu loquitur de vicissitudine calamitatum & liberatione ex illis; quæ piis etiam in hac vita tribus vicibus, i. e. aliquoties, contingat : sed quæ hinc ad terminum salutis collectio? 3.) *Jer. 7, 16, 11, 14, 14, 11, 15, 1.* *Ezech. 14, 14.* Deus impœnitentibus sub pœna temporali, denegat exauditionem precum & intercessionum : Sed hoc ipso non præcludit iis ad pœnitentiam reditum, quia de conditione impœnitentiæ hæc tantum intelligenda, *Quod si conversa fuerit gens ista a malitia sua, pœnitabit me super malo, quod cogitavi facere illi. Jer. XIII, 8.* Ideoque Jeremias pro iis intercedit, *cap. XIV, 19.* Hinc instar Regulæ est illud : *si Justitias meas profanabunt, tunc visitabo in virga iniquitates eorum; misericordiam tamen meam non dispergam ab iis. Ps. XXCI, 32, 33, 34, 4.* *Luc. XIII, 7.* Parabolam de ficu per triennium sterili & ideo succisa huc trahunt. Sed Parabola docet : Deum ad ultimam usque